



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus II. vtrum vnio Verbi incarnati facta sit in persona

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

principio contrario illi suppositioni impossibili; A
quod certissimum & verissimum est, vt diximus.

Argumenta D. Thom. sumpta sunt ex quibusdam
dictis Sanctorum, quæ à nobis tractanda sunt Iarè,
partim diffinitione sequenti, partim quæst. 16. vbi
de communicatione idiomaticum differemus. Et id-
circo nihil hic notare oportet, quoniam quæ ad men-
tem D. Thomæ pertinent, perspicua sunt.

ARTICVLVS II.

Utrum unio Verbi incarnati facta sit in persona.

D secundum sic proceditur. Videtur, quod vnio Verbi incarnati non sit facta in persona: Persona enim Dei non est aliud a natura ipsius, ut habitum est in primo. Si ergo vnio non est facta in natura, sequitur, in persona*

2. *Præterea. Natura humana non est minoris dignitatis in Christo, quam in nobis: Personalitas autem ad dignitatem pertinet, ut in primo habitum est. Cum ergo natura humana in nobis propriam personalitatem habeat, multo magis habuit propriam personalitatem in Christo.*

3. Præterea, sicut Boer. dicit in lib. de duab. natur. * Persona est rationalis natura individua substantia. Sed Verbum Deum est simpliciter naturam humanam individuum natura enim univocalis non subsistit secundum se, sed in nuda contemplatione consideratur: ut Damascen. dicit. * Ergo humana natura habet suam personalitatem in Christo. Non ergo videtur, quod sit facta vniu in persona.

Sed contra est, quod in Chalcedonensi * Synodo legitur: Non in duas personas partitum aut diuisum, sed vnum & eundem filium vnigenitum Deum Verbum Dominum nostram Iesum Christum confitemur. Ergo facta est vniio Verbi in persona.

in arg.
Sub contra
dit. praes.

b Respondeo dicendū, quod persona aliud significat, quā
natura. Natura enim, ut dictum est, significat essentiam spe-
cies, quam significat definitio. Et si quidem his, quae ad ratio-
nem speciei pertinent, nihil aliud adiunctum inueniri possit,
nulla necessitas est distinguendi naturam a supposito natu-
rae, quod est individuum subsistens in natura illa: qui vnum

Sectio II.

non autem ad suam naturam diuinam pertinentem: consequens est, quod vnio sit facta in Verbi persona, non autem in natura.

Ad primum ergo dicendum, quod licet in Deo non sit aliud secundum rem natura & persona: differt tamen secundum modum significandi (sicut dictum est*) quia persona significat per modum subsistentis. Et quia natura humana fit unitur Verbo, ut Verbum in ea subsistat, non autem ut aliquid addatur ei ad rationem sue nature: vel ut eius natura in aliquid transmutetur: ideo unio humane nature ad Verbum Dei facta est per se, non in natura.

Ad secundum dicendum, quod personalitas in tantum pertinet ad dignitatem alicuius rei & perfectionem, in quantum ad dignitatem alicuius rei & perfectionem eius pertinet, quod per se existat: quod in nomine personae intelligitur. Dignus autem est alicui, quod existat in aliquo se digniori, quam quod existat per se. Et ideo ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo, quam in nobis, quod in nobis quasi per se existens propriam personalitatem habet, in Christo autem existit in persona Verbi. Sicut etiam esse completum speciei pertinet ad dignitatem formae, tamen sensitiuum nobilius est in homine propter coniunctionem ad nobiliorem formam completiuam, quam sit in bruto animali, in quo est forma completiua.

Ad tertium dicendum, quod Verbum Dei non assumpsit humanam naturam in vniuersali, sed in atomo, id est, in indiuiduo (sicut Damascenus dicit *) aliquando oporteret, quod cuilibet homini conueniret esse Dei Verbum: quod conuenit Christo. Sciendum est tamen, quod non quodlibet indiuiduum in genere substantie etiam in rationali natura habet rationem persone: sed solum illud quod per se existit, non autem illud quod existit in alio perfectiori. Vnde manus Sortis quauis sit quoddam indiuiduum, non tamen est persona: quia non per se existit, sed in quodam perfectiori, scilicet, in suo toto. Et hoc etiam potest significari in hoc, quod persona dicitur substantia indiuidua: non enim manus est substantia completa, sed pars substantie. Licet ergo hac humana natura sit quoddam indiuiduum in genere substantie: quia tamen non per se separatim existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in persona Dei Verbi, consequens est, quod non habeat personalitatem propriam. Et ideo facta est vni in persona.

COMMENTARIUS.

Diligenter notandi sunt termini in hoc
culo positi, non enim quater simpli-
citer de vnione hypoestitica, sed defi-
nite de vnione Verbi incarnati, suppo-
nit enim ex fide solum Verbum esse in-
carnatum, & de hac vnione prout facta est, D. Tho.
quæstionem mouet, vnde cum querit, an facta sit
in persona de eadem persona intelligendum est, scilicet
de persona Verbi. Vniri autem in persona, quan-
tum ex licera articuli, & præcipue ex vltimis verbis
solutionis adteritum colligi potest, nihil aliud est
quàm vniri alterius personæ, non constituendo nouā
personam distinctam ab ea, cui aliquid vnitur, qua-
ratione humanitas potest dei vniri suæ subsistentiæ
in persona, & partes totius, quæ re ergo, an vnio Ver-
bi facta sit in persona, idem est, ac quære, an huma-
na natura ita sit vnita Verbo Dei, vt ex illa vnione
non resultauerit noua persona, sed humana natura
personæ præexistenti copulata sit.

Dices, hoc non est inuestigare terminum resultantem ex vñione, quod hic fuerat propofitum, fed quærere terminum, cui eft coniuncta humana natura, quod ad quæftionem tertiam potius videtur pertinere. Rcfpondetur, ita effe hanc in fe connexa, vt non poffint omnino feiungi: formaliter tamen, ac directe non hic agitur, an id, cui proximè con-

coniuncta est natura, sit persona, sed solum an ita fuerit humana natura vnita diuinæ, vt per vnionem huiusmodi non resultauerit noua alia persona, sed eadem præexistens diuina fuerit incarnata.

b Hoc ergo sensu respondet D. Thomas, vnionem factam esse in persona. Ad cuius probationem multa supponit de distinctione suppositi à natura in rebus creatis, quæ nunc fusius explicare non oportet, quàm ab ipso tradita sunt. Sufficit enim nobis ex mente D. Thom. aliquam distinctionem ex natura rei esse constituendam inter suppositum creatum, eiusque naturam, qualis vero sit hæc distinctio, & quid suppositum supra naturam addat, non solum in corporalibus naturis, sed etiam in spiritualibus, in propria quadam disputatione sunt explicanda, quam alio loco tractandam reliquimus, ne disputatione Metaphysica inter explicandum Theologica mysteria impediamur. Probat ergo D. Thomas assertionem suam hac breui ratione: si humana natura non vnitur Verbo Dei in persona, nullo modo ei vnitur, consequens est contra fidem incarnationis, ergo. Sequelam probat, quia quidquid inest alicui, siue pertineat ad naturam eius siue non, vnitur ei in persona. Quod principium licet fundamentum sit totius rationis, à D. Thoma supponitur, & non probatur, cum tamen nec per se notum, nec semper verum appareat, vestis enim vnitur homini, & non in persona. Sed responderi potest ex Caietano illud principium intelligi, quando vnum vere vnitur alteri, ita vt intrinsece illi inest, & coniungantur, vt hoc modo excludantur ea, quæ cum extrinsecus adiaceant, veram vnionem inter se non habent. Quo sensu clarissimum videtur, ac per se notum, id omne, quod alicui vnitur personæ, in ipsa vniri persona, vt constat ex dicta terminorum expositione. Et propterea fortasse D. Thom. vsus est illo modo loquendi. Quidquid inest alicui, vt excluderet extrinsecus adiacentia, quæ vere non in sunt. Et eandem ob causam humanæ dux personæ, quantumuis affectu, vel alio quouis vinculo copulentur, nunquam tamen ita intrinsece vniuntur, vt vna inesse alteri dici possit, vnde neque vniri alteri in eadem persona.

Obiectio.

Sed vrgebis, quia licet hoc principium illo sensu expositum verum sit, vnde tamen constat humanam naturam ita esse vnitam Verbo seu diuinæ naturæ, vt illi aliquo modo inest, vel intime iungatur? Hoc enim negaret Nestorius, qui dixit tantum esse vnitam accidentaliter per singularem affectum, vel factionem, &c. Respondetur, hoc sumpsisse D. Thom. tanquam de fide certum, quia humana natura ita est coniuncta Verbo, vt illud hominem constituat, quod intelligi non potest sine vera & intima vnione, quod quia iterum explicaturus erat art. 6. vbi quærit, an hæc vnio sit substantialis, ideo hoc loco, nec plura dixit, nec retulit errorem Nestorij, nec distincte impugnavit. Posset etiam illa sequela D. Tho. scilicet si humanitas non est vnita Verbo in persona nullo modo est ei vnita, intelligi hoc modo, id est, nullo proprio & speciali modo esse Verbo vnitam, sed solum improprio & communi modo, quo etiam potest dici vnita Patri vel Spiritui Sancto, scilicet per præsentiam, per operationem, &c. & hoc sensu evidentius ratio concludit, quia manifestissime id sequitur, & illo admissio destruitur incarnatio, vt explicabitur in disputatione.

Dubium.

Aliam dubitationem mouet in fine articuli Caiet. quia discursus D. Thom. videtur supponere, omnem vnionem naturæ creatæ ad Deum debere esse, aut in natura, aut in persona: hoc autem suppositum falsum est, quia posset fieri vnio in hoc Deo, quæ neque esset in natura, neque in persona, cuius occasione multa dicit de substantia essentiali, & de vnione quæ in ea fieri potest quæ à nobis in q. 3. commodius tractabuntur. Ad obiectionem verò factam quatuor modis respondet, sed duo primi supponunt, vel non

A esse in Deo substantiam communem, vel in illa non posse fieri substantialem vnionem, quæ nobis vera non videntur, vt citato loco videbimus. Quarta etiam responsio, quæ Caiet. placet, sumit falsam doctrinam dicto etiam loco examinandam, videlicet hunc Deum abstractum à tribus personis, esse aliquo modo personam, & ideo vnionem in illo factam, esse vnionem in persona. Responsio ergo tertia est, quæ aliis etiam discipulis D. Thom. probatur, scilicet, D. Th. hic non agere absolute de vnione ad Deum: sed definite de vnione ad Verbum, & de hac vere dicitur non posse esse nisi in natura vel in persona: nam si qua fieret vnio in hoc Deo, illa non vnio Verbi magis quàm Patris vel Spiritus Sancti.

Sed contra, quia loquendo hoc modo de vnione ad Verbum, illa neq. in natura esse potest; sed tantum in persona, quia si per impossibile fieret vnio in natura, illa etiam non esset vnio ad Verbum magis, quàm ad Patrem, vel ad Spiritum Sanctum. Respondetur, reuera ita esse: tamen quia aliqui hæretici posuerunt illam vnionem in natura, necessarium fuisse D. Thom. de illa distincte disputare. Præsertim, quia ipse in hoc articulo solum intendit concludere vnionem factam esse in persona Verbi, quia illi est vnita nostra natura. An vero simul vnita fuerit substantiæ essentiali necne, & an primario illi, vel relationi, hoc non tractat, quia ad præsentem disputationem non pertinebat.

c In primo argumento proponit D. Thom. difficultatem communem multis rebus, seu locutionibus diuinis, videlicet cum in Deo persona, & natura in re non distinguantur, quomodo potuerit vnio hæc fieri in persona, quin sit facta etiam in natura. Et respondet, distinctionem rationis inter personam & naturam, seu diuersum modum significandi ad hoc sufficere, quod potest multis exemplis similibus confirmari. Nam per intellectum generatur filius, & non per voluntatem, per paternitatem constituitur Pater & non per inspirationem, quamuis hæc in re non distinguantur, & quod est omnino simile, Pater generat, & natura diuina non generat. Et vniuersalis ratio est, quia licet Deus sit quiddam simplicissimū, tamen vere ac proprie in se habet perfectiones multas, quæ in nobis distinctæ sunt, & singulorum actus exercet, quatenus vnāquamque in se formaliter continet, & propterea quamuis in Deo natura, & persona re non distinguantur, tamen in illa re simplicissima vere inuenitur, quidquid spectat ad rationem naturæ, & quidquid spectat ad rationem personæ, vel substantiæ, & id quod illi vnitur, non coniungitur illi, vt habet rationem naturæ, sed vt habet rationem substantiæ. Sicut quamuis eadem res in Deo sit, à qua procedit remissio, & punitio peccati, tamen remissio procedit ab illa, vt continet perfectionem misericordiae: punitio vero, vt habet rationem iustitiæ, & quia nos significamus res, prout illas concipimus, & rem eandem concipimus diuerso modo, scilicet prout in se complectitur diuersas perfectiones. Hinc est vt diuersus modus significandi: & concipiendi sufficiat, vt illi rei diuersis modis & vocibus significare, diuersa prædicata tribuantur, & quedam affirmantur sub vno conceptu, & non sub alio, quia per huiusmodi formales conceptiones & locutiones, non solum quid conueniat rei, sed etiam sub qua ratione aut perfectione conueniat, explicamus. Sic ergo vnio in persona facta esse dicitur, quia facta est ad substantiandum incommunicabiliter in hac persona, & non in aliis, quod formaliter pertinet ad rationem personæ; non vero dicitur facta in natura, quia nullo modo facta est ad constitutionem, vel transmutationem naturæ, & iuxta hæc intelligenda sunt, quæ hic Caietan. notat, & satis commendat & exaggerat.

Hinc vero obiter intelligitur sæpe in diuinis rebus, seu terminis, quedam de se mutuo prædicari, quā-

quamvis diuerso modo significentur, & nihilominus, non quidquid predicatur de vno, de alio predicari, vti in proposito dicitur Verbum simpliciter esse sua diuinitas, & tamen vno dicitur facta in Verbo, & non in diuinitate. Verbumque ipsum generari dicitur, diuinitas vero nequaquam. Ratio ex dictis sumenda est, illa enim propositiones, in quibus abstracta vel de concretis, vel de se muno predicantur, reuera sunt improprie ex modo significantur, admittunt tamen in sensu identico, quia extrema sunt in re omnino idem, quando ex huiusmodi predicatione non sequitur, nec per eam indicatur quiddam aliud falsum vel absurdum. At vero alie predicationes faciunt sensum formalem, & in eis significatur aliquid conuenire Deo secundum eam rationem, secundum quam vere non conuenit, unde sit, vt ex eis aliquid falsum, & diuinitas naturae repugnans consequatur, vt ex illa propositione, deitas generatur, sequitur deitatem distinguere a persona generante, & ex illa, vno facta est in natura diuina, sequitur & diuinitatem mutatam esse, & vniorem tribus personis esse commune.

Solutiones ad secundum & tertium per se sunt satis claræ, quæstiones vero, quæ in illis indicantur, inferius in propriis locis tractandæ sunt.

ARTICVLVS III.

Primum vno Verbi incarnati facta sit in supposito vel hypostasi.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod vno Verbi incarnati non sit facta in supposito siue in hypostasi. Dicit enim Augustinus in Enchirid. *Diuina substantia & humana, vtrique est vnus Dei filius, sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem.* Deo Papa etiam dicit in epist. ad Plaut. *Vnum horum coruscet miraculis, aliud succumbit iniuriis.* Sed aliud & aliud differunt supposito: ergo vno Verbi incarnati non est facta in supposito.

Praterea, hypostasis nihil aliud est, quam substantia particularis, vt Boetius dicit in libr. de duabus naturis. *Manifestum est autem, quod in Christo est quadam alia substantia particularis præter hypostasim Verbi, scilicet corpus & anima & compositum ex eis.* Ergo in ipso est alia hypostasis præter hypostasim Verbi.

Praterea, hypostasis Verbi non continetur in aliquo genere, neque sub specie, vt patet ex his, quæ in prima parte dicta sunt: *Sed Christus secundum quod est factus homo, continetur sub specie humana: dicit enim Dionysius 1. cap. de diuinis nominibus. Intra nature nostre terminis venit, qui omnem totius nature ordinem supereminenter excelsit.* Non autem continetur sub specie humana, nisi sicut hypostasis quadam humana speciei. Ergo in Christo est alia hypostasis præter hypostasim Verbi Dei. Et sic idem quod prius.

Sed contra est, quod Damascenus dicit in 3. li. *In Domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, vnam autem hypostasim.*

Respondeo dicendum, quod quidam ignorantes habitudinem hypostasis a personam, licet concederent in Christo vnam solam personam, posuerunt tamen aliam hypostasim Dei, & aliam hominis, ac si vno sit facta in persona, non in hypostasi.

Quod quidem apparet erroneum tripliciter. Primo ex hoc, quod persona super hypostasim non addit nisi determinatam naturam, scilicet rationalem, secundum quod Boetius dicit in libro de duabus naturis. *Secundum personam est rationalis natura indiuidua substantia, & ideo idem est attribuire personam.*

Fr. Suar. Tom. 1.

A primam hypostasim humanam naturam in Christo, & propriam personam. Quod intelligentes sancti Patres vtrumque in Concilio quinto apud Constantinopolim celebrato damnauerunt, dicentes: *Si quis introducere conatur in mysterio, Christo duas substantias, seu duas personas, anathema sit: nec enim adiectionem persone vel substantie suscepit sancta Trinitas, incarnato vno de sancta Trinitate, Deo Verbo. Substantia autem idem est quod res subsistens, quod est proprium hypostasis, vt patet per Boetium in libro de duabus naturis.*

Secundo, quia si datur quod persona aliquid addat super hypostasim, in quo possit vno fieri, hoc nihil aliud est quam proprietas ad dignitatem pertinens: Secundum quod a quibusdam dicitur, quod persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Si ergo facta sit vno in persona, & non in hypostasi, consequens erit, quod non facta sit vno nisi secundum dignitatem quandam. Et hoc est approbante Synodo Ephesine damnatum a Cyrillo * sub his verbis: *Si quis in vno Christo diuidit substantias post adnationem, sola copulans eas coniunctione, quæ secundum dignitatem quandam, vel auctoritatem est, vel secundum potentiam, & non magis concursu secundum adnationem naturalem, anathema sit.*

Tertio, quia tantum hypostasis est, cui attribuantur operationes & proprietates nature, & ea etiam quæ ad naturam rationem pertinent: in concreto dicimus enim quod hic homo ratiocinatur, & est risibilis, & est animal rationale. Et hac ratione hic homo dicitur esse suppositum, quia scilicet supponitur his, quæ ad hominem pertinent, eorum predicationem recipiens. Si ergo sit alia hypostasis in Christo præter hypostasim Verbi, sequitur quod de aliquo alio quam de Verbo verificetur ea, quæ sunt hominis, puta esse natum de Virgine, passum, crucifixum, & sepultum. Et hoc etiam damnatum est approbante Concilio Ephesino sub his verbis: *Si quis personam duabus vel substantiis eas, quæ sunt in Euangelicis & Apostolicis scripturis, pariter voces, aut de Christo a sanctis dictas, aut ab ipso de se, & quasdam quidem veluti homini præter illud ex Deo Verbum specialiter intellecto applicat, quasdam vero veluti Deo dignas, sicut ex Deo Patre Verbo, anathema sit.*

Si ergo patet esse hæresim olim ab Ecclesia damnatam, dicere, quod in Christo sunt duæ hypostases, vel duo supposita: siue quod vno non sit facta in hypostasi vel supposito. Vnde in eadem Synodo legitur. *Si quis non confitetur carni secundum substantiam vnitam ex Deo Patre Verbum, vnamque esse Christum cum sua carne eundem scilicet Deum & hominem, anathema sit.*

Ad primum ergo dicendum, quod sicut accidentaliter differentia facit alterum, ita essentialiter facit aliud. Manifestum est autem, quod alteritas, quæ provenit ex differentia accidentali, potest ad eandem hypostasim vel suppositum pertinere in rebus creatis: eo quod idem numero potest diuersis accidentibus subesse: non autem contingit in rebus creatis, quod idem numero subsistere possit diuersis essentiis vel naturis, sed vnus & idem Christus subsistit in duabus naturis. Vnde sicut quod dicitur alterum & alterum in creaturis non significat diuersitatem suppositi, sed solum diuersitatem formarum accidentalium: ita quod dicitur Christus aliud & aliud, non importat diuersitatem suppositi vel hypostasis, sed diuersitatem naturarum. Vnde Gregorius Nazianzenus dicit in epistola ad Eudimum: *Aliud & aliud sunt ea, ex quibus Saluator est, non autem alius, dico verò aliud & aliud contrario, & quam in Trinitate habet: ibi enim alius & alius dicimus, vt non substantias confundamus, non autem aliud & aliud.*

Ad secundum dicendum, quod hypostasis significat substantiam particularem, non quocunque modo, sed prout est in suo complemento: Secundum vero quod venit in vniorem aliquis magis completi, non dicitur hypostasis, sicut manus vel pes. Et similiter humana natura in Christo quamvis sit

substan-

In C. de a. Constantin. quod est 5. generale Concil. can. 5. 10. m. i.

In 3. pag. a princip. lib.

In Ephes. 1. can. 3. 10. 1. Conc.

In Ephes. Synod. 1. can. 4. 10. 1. Conc. cil.

In can. 2. Ephes. 1. Synod. quæ sunt vna ex 4. princip. lib.

In epist. 1. ad Eudimum inter princip. & med. incip. 1. Honor. diffin.